

art. 3; et habet magnum fundamentum in verbis Christi Joan. 8, ubi de dæmone ait: *Mendax est, et pater mendacii*, quia mendacium non potest esse ex Deo, sed dæmone, et ideo vocatur pater, id est, inventor ejus, et ideo de Deo potius scriptum est: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, Psal. 5; unde in cap. *Super eo* de Usur. dicitur Scripturam sacram prohibere pro alterius vita mentiri, et ideo contrarium in Cassiano Collat. 17, tanquam error damnatur, de quo latius alibi, et videri potest Castro contra Hær., verb. *Mendacium*. Nulla enim alia ratio hujus verissimi dogmatis reddi potest, nisi quia extrinsecus finis, vel necessitas extrinseca non mutat objectum, nec intrinsecas condiciones ad mendacium requisitas, a quo objecto præcise spectato habet mendacium suam intrinsecam deformitatem, et ideo nec dispensatio, nec epikia in eo locum habet, ut possit licere propter extrinsecas occasiones, necessitates, aut fines. Quoties ergo præceptum aliquod naturale videtur non obligare in aliqua opportunitate, necesse est mutari materiam talis actus quæ illi dabat malitiam propter quam prohibetur lege naturali. Et ita differt multum talis mutatio ab illa, quæ fit in lege positiva, quando intervenit epikia, quia hic sola prohibitio cessat circa eandem materiam; ibi autem minime, sed materia subtrahitur, et per illius mutationem tollitur malitia.

13. *Secunda.* — Alia differentia est, quod in lege positiva, quando interpretatio fit per epikiam, non fit circa actum prohibitum per legem nec circa obscuritatem verborum ejus, sed potius supponitur illum esse actum prohibitum secundum speciem suam, et comprehendendi sub verbis legis spectatis in sua proprietate: tota vero interpretatio et conjectura fit circa intentionem legislatoris, quod non fuerit mens ejus comprehendere talem casum, seu actum illum pro tali opportunitate. Et hæc est propria epikia quæ dicitur emendatio legis, utique secundum speciem verborum, justificando illam (ut sic dicam) per intentionem et æquitatem præsumptam legislatoris. Hoc vero non habet locum in lege naturali, quia non fundatur primo in voluntate prohibente, sed in natura ipsius actus per se mali, et ideo interpretatio ibi solum habet locum circa materiam, quando actus abstracte sumptus non habet intrinsecam malitiam, sed solum ut versatur circa talem materiam tali vel tali modo, ut in occasione hominis, acceptione rei alienæ, retentione depositi, et aliis similibus explicui-

mus. Et ideo in hujusmodi lege non fit interpretatio per emendationem legis, nam hæc semper coaptatur materiæ, sed fit per solam explicationem rei et malitiæ quam secundum se habet: nam secundum illam tantum fit prohibitio, vel fertur lex, sive intelligatur ut indicativa malitiæ, sive ut prohibitiva. Et tunc nunquam potest per epikiam interpretatio fieri, quod ille actus, ut versatur tali modo circa talem materiam, possit licere propter solam intentionem legislatoris conjecturatam per extrinsecam occasionem, necessitatem, aut finem: et ita non recte fit comparatio inter naturalem legem et positivam.

14. *Objectio.* — Sed instari adhuc potest, quia nonnulla sunt naturalia præcepta quæ propriissimam interpretationem epikiæ recipiunt: nam circa eosdem actus, et cum omnibus circumstantiis intrinsecis quæ ordinarie sufficiunt ad naturalem prohibitionem, propter extrinsecam necessitatem, seu finem extrinsecum, interpretamur non obligare in aliquo casu. Hujusmodi est præceptum prohibens matrimonium cum sorore, quod in casu extremæ necessitatis non obligat propter conservationem speciei. Idem est de præcepto non contrahendi cum secunda, vivente prima; maxime si primum matrimonium fuit consummatum: nam in eadem necessitate generis humani, si prima esset sterilis, liceret accipere secundam: et in præceptis pertinentibus ad impedimenta quæ jure naturæ irritant matrimonium invenientur multa similia.

15. *Solutio.* — Respondetur nihilominus, generalem regulam datam veram esse, nimirum, stante eadem materia præcepti negativi naturalis, fieri non posse ut per epikiam iudicetur licitus actus prohibitus propter solam extrinsecam causam, seu finem, aut necessitatem: hoc enim convincunt rationes et exempla adducta. Quod si in aliquo præcepto id accidere videtur pro aliquo casu, vel tale præceptum simpliciter naturale non est, sed naturali proximum, et consuetudine hominum receptum et approbatum, ac proinde absolute solius juris gentium, et ideo mutabile vel alterabile pro aliquo casu: vel si præceptum est naturale simpliciter, materia ejus non erit actus simpliciter et abstracte sumptus, sed cum aliqua circumstantia intrinseca, qua sublata possit obligatio cessare: non tamen per epikiam, sed per defectum propriæ materiæ. Applicare autem hanc regulam ad singula præcepta non est præsentis instituti, sed ad varias materias spectat. De illis ergo præceptis matrimonii,

qualia sint disputant doctores, et non eodem modo sentiunt. Nunc autem, supponendo illa esse vere præcepta naturalia, respondetur per illa non prohiberi simpliciter matrimonium, verbi gratia, inter fratres, vel cum secunda, sed prohiberi tale matrimonium quatenus noxium humanæ naturæ, et ita contrarium naturali honestati secundum rectam rationem: in casu vero illius necessitatis cessat hæc ratio, et incipit esse matrimonium maxime commodum naturæ, et subinde honestum, quia propter solam conservationem necessariam suscipitur, qui finis non est extrinsecus, sed intrinsecus tali actui: atque hoc modo in illa occasione mutatur materia præcepti negativi. Declaratur a simili: nam mutilatio proprii corporis, sine necessitate ad conservationem vitæ, intrinsece mala est: tamen in casu necessitatis propter conservandum corpus licet, quia illa mutilatio non prohibetur nec est per se mala, nisi ut noxia vitæ: tunc autem non est noxia, sed necessaria. Sic etiam verbum prolatum sine fine honesto vel convenienti naturæ malum est et jure naturæ prohibitum: idem autem verbum propter convenientem finem non prohibetur, quia non erat per se malum ut tale verbum, sed ut otiosum et inutile, quæ deformitas tollitur ex relatione ad talem finem. Sic ergo attente est consideranda qualitas et conditio materiæ: nam juxta capacitatem ejus mutatur moraliter ejus conditio ex fine, vel necessitate occurrente, quia actio talis est ut natura sua petat ordinem ad talem finem, tali vel tali modo, et tunc necessitas occurrens redundat in materiam præcepti et mutat illam, et inde fit ut cesset obligatio præcepti naturalis, non quia præceptum in sua materia non obliget semper et pro semper, sine exceptione, sed quia, mutata materia, jam non habet in illa locum tale præceptum, ut naturale est.

16. *Tertia assertio.* — *Lex naturalis, ut per legem positivam constituta, admittit potest epikiam.* — Dico igitur tertio: Si præcepta naturalia spectentur ut per legem positivam constituta sunt, tunc recipiunt exceptionem epikiæ, præsertim in ordine ad intentionem legislatoris humani, licet secundum se et ut naturalia sunt, illam proprie non admittant. Juxta hanc assertionem possunt exponi frequentes locutiones aliorum auctorum. Et præsertim Cajetanus expresse loquitur de his præceptis, ut constitutis per leges humanas, et alii etiam loquuntur de illis ut latis per generalia verba, sine moderatione, quam postea adhibet epikia, quod non habet locum in

his præceptis ut naturalia sunt, quia ut sic non feruntur per aliquod generale verbum, nisi in eo sensu in quo includat omnia necessaria ad intrinsecam malitiam, et ita nullam possit admittere exceptionem, sicut dicebamus de prohibitione furti, ut furtum est, vel homicidii, ut per se mali. Et inde patet ratio assertionis. Nam leges humanæ sæpe hoc non attendunt, sed simpliciter præcipiunt actum, verbi gratia, reddere depositum, vel solvere promissum, in quibus legibus ut sic propositis potest habere locum epikia. Dico autem hoc intelligi in ordine ad intentionem legislatoris humani, quia sæpe contingere potest ut legislator humanus nihil de tali exceptione cogitaverit nec illam expresse intenderit, sed potius absolute et sine limitatione legem tulerit sub verbis de se comprehendentibus casum illum, et nihilominus interpretamur non comprehendisse illum. Quæ interpretatio respectu voluntatis legislatoris humani est epikia, quia est quasi emendatio ejus; in se vero, et respectu legis naturalis est tantum explicatio mutationis factæ in materia, ratione cujus actus cum talibus circumstantiis non habet per se malitiam, nec comprehenditur sub lege naturali, et ita facilis est tota assertio posita. Crediderim etiam plures ex dictis auctoribus late et improprie interdum loqui de interpretatione legis naturalis, vocantes epikiam vel exceptionem a lege, solam declarationem materiæ et veri sensus legis; sed non est de nomine contendendum quando de re constat; quamvis ad explicandam vim legis et ad constanter loquendum de interpretatione ejus, doctrina data necessaria videatur.

CAPUT XVII.

UTRUM JUS NATURALE DISTINGUATUR A JURE GENTIUM, QUIA HOC SOLIS HOMINIBUS CONVENIT, ILLUD ETIAM BRUTIS COMMUNE EST.

1. Explicato naturali jure, priusquam ad positivum transeamus, operæ pretium erit in fine hujus libri jus gentium quatenus ad rationem legis spectat, declarare; tum quia magnam habet cum jure naturali affinitatem, ita ut a multis cum illo confundatur, vel pars quædam ejus esse censeatur; tum etiam quia eo modo quo ab illo distinguitur, est illi propinquissimum, et quasi medium inter naturale jus, et humanum, et priori extremo vicinius, et ideo per illud convenienter transitum faciemus ad proprium jus positivum exponendum. Quod ergo aliquid sit jus gentium, vel ex ipsius



vocis usu frequentissimo, omnes tanquam certum supponunt: nam hujus juris frequens mentio est in jure civili, ff. de Justit. et jur., et Instit. de Jure naturali, gent. et civili, et in Decret. dist. 1 et sequent., ex Isidoro, § Etym., cap. 2, et in utriusque juris doctoribus illis locis, et passim, et in D. Thoma, ac theologis 2. 2, q. 57, art. 3.

2. *Explicantur variae juris acceptiones.* — Quia vero hæc vox æquivoca est, oportet illam distinguere, ut significationem tantum ad nos pertinentem usurpemus. Jus enim interdum significat moralem facultatem ad rem aliquam, vel in re, sive sit verum dominium, sive aliqua participatio ejus, quod est proprium objectum justitiæ, ut constat ex D. Thoma, dist. q. 17, art. 1. Aliquando vero jus significat legem, quæ est regula honeste operandi, et in rebus quamdam æquitatem constituit, et est ratio ipsius juris priori modo sumpti, ut dixit ibidem D. Thomas, dicto art. 1, ad 2, quæ ratio est ipsa lex, ut ibi dicit, et ita jus coincidit cum lege, ut præcedenti libro cap. 2 notavimus: unde, ut habeamus brevina nomina quibus uti possimus, primum vocare possumus jus utile, secundum honestum: vel primum jus reale, secundum legale: utrumque ergo jus potest dividi in naturale, gentium et civile. Nam jus utile naturale dicitur quando ab ipsa natura datur, seu cum illa provenit, quomodo libertas dici potest ex jure naturali. Civile dicitur quod jus civile introducit, ut jus præscriptionis. Gentium quod ex communi usu gentium habetur, ut est jus transeundi per vias publicas, vel jus servitutis bello introductum. Atque in hoc sensu pertinet hæc divisio ad objectum justitiæ, et forte ita traditur a D. Thoma, dicto art. 3. In præsentem vero non ita loquimur de jure gentium, sed ut est quædam species legis. Nam etiam jus legale per tria illa membra dividi solet: nam in l. 1, § *Hujus studii*, ff. de Justit. et jur., expresse dicitur jus collectum esse ex præceptis naturalibus, aut gentium, aut civili. Et eodem modo sumitur divisio illa in titulo de jure naturali, gentium et civili. Quam divisionem ex communi usu et sententia bonam esse supponimus, et quia duo extrema membra satis nota sunt ex dictis in l. 1, cap. ult., oportet nunc explicare secundum membrum quod in hunc locum remisimus, quia pendet ex comparatione ejus cum jure naturali; unde etiam constabit ratio, et verus sensus totius divisionis.

3. *Prima opinio juristarum distinguens jus naturale a jure gentium, in eo quod primum*

competat etiam brutis, istud vero solum homini.

— In hoc itaque jure gentium explicando variae sunt sententiæ, quarum primam in hoc capite pertractabimus, deinde cæteras persequemur. Jurisperiti ergo communiter distinguunt jus naturale a jure gentium in hoc quod jus naturale est commune brutis etiam animantibus: jus autem gentium est proprium hominum. Unde in l. 1, § *Hujus studii*, et in § 1 et 2 Inst. de jur. nat. gent. et civili, sic dicitur: *Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit: nam jus istud non solum humani generis proprium est, sed omnium animalium quæ in terra marique nascuntur, avium quoque commune est.* Et adhibentur exempla, ut maris et fœminæ conjunctio, filiorum procreatio et educatio. De jure autem gentium additur: *Gentium est, quo gentes humanæ utuntur*, et dicitur a naturali recedere, quia solis hominibus inter se commune est. Additur vero inferius in lege 9, jus gentium vocari, *Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, et apud omnes peræque custoditur.* Unde constat jus gentium censi etiam naturale, sed speciali modo et proprio hominum, et hoc etiam declarant exempla quæ adhibentur in lege 2, 3 et 4, scilicet, *religio in Deum, obedientia ad patres et patriam, vim atque injuriam propulsare.* Unde ibidem significatur hominem homini insidiari contra jus gentium esse. Addunt præterea *manumissiones et servitutes, item bella regnorum, dominiorum, rerumque divisio, commercia, aliisque contractus venditionum*, et alia hujusmodi. Et similiter in § 4 Institution. de Jure naturali. eadem exempla adhibentur, præter religionem et pietatem ad parentes et patriam.

4. Quocirca juxta hanc sententiam divisio illa juris seu legis in naturalem, gentium et civilem, ita debet ad duas bimbres reduci, ut prius lex dividatur in naturalem et civilem; deinde vero lex naturalis generatim subdividatur in naturalem communem omnibus animantibus, quæ absolutam appellationem juris naturalis retinuit secundum quamdam acceptionem, et legem naturalem propriam hominum, quæ juris gentium appellata est: et ratio talis subdivisionis esse potest, quia illæ duæ rationes vere sunt distinctæ in re, et possunt habere diversas considerationes et effectus morales, et ideo congruum fuit illas distinguere, et illis nomina propria imponere et accommodare. Nec videtur posse melius illa nomina explicari. Et solvitur facile difficultas tacta, quia jam constat quomodo divisio illa adæ-

quata sit; sumpto tamen nomine juris naturalis in generali significato. Nec videtur ab hac sententia recedere D. Thomas 1. 2, q. 95, art. 4, ad 1, et latius 2. 2, q. 7, art. 4, ubi hos duos modos juris naturalis agnoscit, eisquæ illas voces accommodat. Atque ita illum interpretatur Conrad. dicta q. 95, art. 2 et 4, ubi ita exponit juristarum opinionem et dicit divum Thomam locutum fuisse more illorum, licet philosophi aliter loquantur.

5. *Auctores improbantes juristarum opinionem.*—*Responsio pro juristis ad instantiam.*— Hanc vero interpretationem jurisconsultorum reprehendit Laurentius Valla libro quarto Elegantiar., cap. 48; Conan. etiam, in Commentar. jur. civil., lib. 1, cap. 6, illam subdivisionem juris naturalis rejicit, et consequenter putat non distingui jus gentium a jure naturali, ideoque nec Aristotelem nec alios antiquos philosophos illud distinxisse aut cognovisse. Soto etiam lib. 3 de Justitia, q. 1, art. 3, expositionem jurisconsultorum rejicit. Et primo fundantur quia nullum est jus naturale commune hominibus et aliis animalibus, quia bruta animalia non sunt capacia propriæ obedientiæ, aut justitiæ, vel injuriæ. Ad hoc vero respondent Albertus lib. 5 Ethicorum, c. 7, Turrecremata et Covarrus locis infra citandis, jus naturale dici commune brutis non formaliter quoad rationem juris et legis, sed materialiter quoad opera quæ sub tale jus cadunt: nam illa communia sunt hominibus cum brutis, ut patet in exemplis positis in jure de conjunctione maris et fœminæ, procreatione filiorum, etc. Sed contra hoc est, quia illa communitas cum brutis in materiali opere nihil refert ad distinctionem juris vel legis; ergo est impertinens et sine arte illa divisio in illo sensu et propter illam solam causam. Sed respondere possunt illam materialem convenientiam deservire ad explicandam in homine diversam rationem naturalitatis juris (ut sic dicam). Nam lex naturalis generatim sumpta in dictamine rationis naturalis consistit: hoc autem dictamen interdum est ex inclinatione generis, seu naturæ sensitivæ ut sic: interdum vero ex propria inclinatione naturæ rationalis, ut talis est, et secundum has duas rationes distinguitur jus naturale tanquam commune brutis, ex parte scilicet inclinationis in qua fundatur.

6 Verumtamen etiam hoc modo non satisfit difficultati. Primo, quia juxta hanc declarationem vim vi repellere non sub jure gentium sed sub jure naturali constituendum esset,

v.

quod in illis legibus non fit. Probatur sequela, quia illa actio communis est brutis animalibus, et ex generali inclinatione ad propriam conservationem provenit. Nam sicut generatio provenit ex inclinatione naturali ad conservandam speciem, ita propria defensio est ex innata inclinatione ad conservandam propriam vitam, et proprium esse: utraque autem inclinatio communis est homini cum aliis animalibus; ergo immerito ponitur hæc actio sub jure gentium. Secundo falsum esse videtur jus naturale, ut habet propriam rationem legis, fundari in ratione naturæ sensitivæ, ut communis est brutis animalibus: nam semper considerari debet ut elevata ad superiorem gradum per differentiam rationalem; quia lex naturalis non regulatur per convenientiam ad naturam sensitivam, sed ad rationalem: sensitivam autem respicit solum ut contractam, et speciali modo perfectam per differentiam rationalem: ergo illa convenientia generica impertinens est ad distinguendam legem naturæ. Consequentia videtur clara, et antecedens probatur: tum, quia, quando lex naturæ aliquid præcipit in ordine ad conservandam naturam sensitivam, semper involvit modum rationalem, et ita dicitur de conjunctione maris et fœminæ multo aliter quam instinctus naturalis brutorum, ut constat de matrimonio, et idem cum proportionem est de educatione filiorum, et de conservatione propriæ vitæ, et similibus: tum etiam, quia in eodem opere materialiter communi brutis, multa prohibet lex naturalis in homine a quibus bruta non arcentur per naturalem instinctum, ut prohibet lex naturalis vagum concubitum, seu fornicationem simplicem, et conjunctionem cum matre vel sorore, quæ privationes non sunt communes brutis. Unde etiam novum seu tertium argumentum insurgit: nam sequitur ex illa sententia hæc præcepta negativa esse juris gentium, et non naturalia, quod valde absurdum est. Et patet sequela, quia sunt ita propria hominum ut non possint dici brutis communia: nam, licet illud opus sit suo modo commune brutis, tamen omissio operis non est communis, et hæc est propria materia talis legis. Hoc vero argumentum evidentius ostenditur in præceptis colendi Deum, honorandi parentes et proximum. Nam absurdum est negare hæc esse simpliciter de jure naturali, sed tantum de jure gentium: idemque est de præcepto restituendi alienum, vel reddendi depositum, vel servandi fidelitatem, dicendi veritatem, et similibus, quæ sunt propria ho-

minum, et non communia cum brutis etiam materialiter, et tamen ad naturale jus maxime pertinent.

7. Ad hæc vero responderi potest juxta civilia jura jus gentium re vera esse jus naturale, et ita sæpe in jure civili vocari, ut patet in leg. *Bona fides*, ff. *Depositum*, et § *Et quidem*, et § *Singulorum*, Instit. de Rerum divisione, et § penult. Instit. de Jure natur. Quapropter non erit absurdum in hoc sensu vocare præcepta commemorata, imo et omnia Decalogi de jure gentium, quia per hoc non negatur esse de proprio et stricto jure naturali, sed indicatur peculiaris modus, et quasi proprietas talis juris respectu humanæ naturæ, et ita contentio tota versabitur circa solum usum vocis, vel necessitatem, aut utilitatem illius distinctionis in illo sensu. Sed licet hoc aliqua ex parte ita sit, nihilominus secunda ratio facta retinet suam vim et ostendit improprie valde dici dari jus naturale commune brutis. Et præterea (ne contentio sit de vocabulo) simpliciter dicendum erit juxta illam sententiam jus gentium esse intrinsece et essentialiter jus naturale, seu partem ejus. Hoc autem ad omnia quæ de jure gentium adducuntur accommodari non potest; quia quædam continent materiam non solum necessariam, sed etiam communem brutis, ut monstrant argumenta facta; alia non solum versantur in materia propria hominum, sed etiam non continent intrinsecam necessitatem, ut ex sequentibus constabit.

8. *Excluditur etiam secunda opinio distinguens jus gentium a naturali, quod naturale sine discursu vel facillimo innotescit, alterum e contra.* — Quapropter etiam non placet modus loquendi aliquorum theologorum qui sentiunt jus gentium habere intrinsecam necessitatem in suis præceptis; solumque differre a naturali, quia jus naturale sine discursu vel facillimo discursu innotescit: jus autem gentium per plures illationes et difficiliore colligitur. Quod potest sumi ex Soto, libro 1, q. 5, art. 4, et indicant aliqui moderni Thomistæ, ita intelligentes D. Thomam, quem infra interpretabimur. Nobis igitur hæc etiam sententia non placet, primo, quia multa dicuntur esse de jure gentium quæ non habent illam intrinsecam necessitatem, ut divisio rerum, servitus, et alia quæ infra videbimus. Secundo ac præcipue, quia jus gentium nec circa prima principia moralia, nec circa conclusiones quæ ex illis necessario inferuntur versari potest, quia omnia illa sub proprio jure naturali compre-

henduntur, ut cap. 7 probatum est. Et confirmatur, nam omnia præcepta quæ a Deo sunt in cordibus hominum scripta pertinent ad jus naturale, ut sumitur ex Paulo ad Roman. 2; sed omnia illa quæ evidenti ratione deducuntur ex principiis naturæ sunt scripta in cordibus; ergo omnia pertinent ad jus naturæ. Et e converso, præcepta juris gentium ab hominibus introducta sunt per arbitrium et consensum illorum, sive in tota hominum communitate, sive in majori parte; ergo non possunt dici scripta in cordibus hominum ab auctore naturæ; ergo sunt juris humani et non naturalis. Quod si de aliquibus præceptis juris gentium hoc necessario fatendum est, ut ostendemus, non oportet jus gentium cum naturali confundere, nec propter solas illationes etiam plures ita vocare jus illud quod simpliciter naturale est: nam discursus non excludit veram et naturalem necessitatem præcepti sic cogniti, et quod discursus sit per plures vel pauciores illationes magis vel minus notas, valde accidentarium est.

9. *Tertia opinio distinguens jus naturale in eo quod obliget sine dependentia a potestate humana, e contra vero jus gentium.* — *Excluditur dicta opinio.* — Dicunt vero aliqui jus naturale comprehendere conclusiones ita necessarias, ut nulla facta suppositione societatis humanæ vel dependentis a voluntate humana, sequatur ex principiis naturæ evidenter, et has non spectare ad jus gentium: esse vero alias conclusiones quæ sequuntur etiam ex principiis naturæ necessario, tamen non absolute, sed supposita humana societate, et consideratis aliquibus circumstantiis necessariis ad ipsius conservationem, et præcepta quæ circa hujusmodi conclusiones versantur constituere jus gentium. Quod videtur posse sumi ex divo Thoma in 2. 2, loco allegato. Sed per hoc etiam non explicatur vera et propria ratio, et distinctio juris gentium a naturali. Nam multa sunt de jure naturali, quæ non obligant nec locum habent nisi aliqua suppositione facta, ut præceptum non furandi non habet locum nisi facta divisione bonorum et dominiorum. Præceptum item parendi dominis non habet locum nisi supposita servitute: justitia etiam contractuum non habet locum nisi ex suppositione commercii humani. Et ita sunt plura alia quæ manifeste pertinent ad jus naturale: nam ita sunt per se honesta, ut contraria prohibeantur quia mala, et non e contrario: ratio etiam reddi potest, quia quod conclusio sequatur ex principiis naturæ ex

suppositione talis vel talis materiæ, aut status hominum, non variat modum legis, quæ subsistit ex intrinseca rei natura, et non ex voluntate humana, sed denotat solum distinctam materiam legis; verbi gratia, lex reddendi promissum et servandi fidelitatem Deo vel homini naturalis est, et tamen non habet locum nisi ex suppositione promissionis: sic etiam in materia de simonia dicitur, vendere rem consecratam ab hominibus contra jus naturale esse, licet supponat consecrationem humano jure introductam. Ergo, licet conclusio sequatur ex suppositione, se tenente tantum ex parte materiæ præcepti, si illatio est evidens ex principiis per se notis, talis conclusio ad jus naturæ pertinet, non ad jus gentium. Ergo ut jus gentium a naturali distinguatur, necesse est ut, etiam supposita tali materia, non sequatur per evidentem consequentiam, sed per aliquam minus certam, ita ut arbitrium humanum et moralis commoditas potius quam necessitas intercedat. Concludendum igitur censeo jus gentium non præcipere aliquid tantum ex se necessarium ad honestatem, nec prohibere aliquid quod per se et intrinsece malum est, vel absolute, vel supposito tali statu et conditione rerum, sed hæc omnia pertinere ad jus naturale, ac subinde in hoc sensu jus gentium non comprehendere sub jure naturali: nec etiam ab illo differre quia sit proprium hominum: nam hoc etiam juri naturali convenit, vel majori ex parte, vel etiam omnino, si de jure et lege proprie loquendum est.

CAPUT XVIII.

AN JUS GENTIUM ALIQUID PRÆCIPAT, VEL PROHIBeat, AUT POTIUS SOLUM CONCEDAT, VEL PERMITTAT.

1. *Opinio aliquorum asserens jus gentium non esse præceptivum, sed permissivum tantum et concessivum aliquod agendi, vel e contra.* — Propter ea quæ superiori capite tractata sunt Conan., lib. 1 Comment. Jur. civil., cap. 6, n. 5, quem refert et sequitur Vasquez, disput. 157, capite 3, existimavit jus gentium, prout a naturali distinguitur, non continere sub se præcepta aut promissiones, sed solum concessionem quasdam, seu facultates, aut permissiones aliquid agendi vel non agendi non tantum impune, sed etiam juste et honeste: ita tamen ut contrarium non sit turpe vel injustum. Adduntque ulterius auctores hujus

sententiæ ad jus gentium necessarium esse ut conveniat humanæ naturæ non absolute spectatæ, sed ut jam constitutæ in civili communitate, quia multa sunt utilia hominibus, ut in communitate viventibus, quæ absolute non pertinent ad commodum naturæ secundum se. Illa ergo quæ conceduntur hominibus in communitate viventibus, propter communem utilitatem, tanquam honesta, et non tanquam necessaria ad honestatem nec tanquam præcepta, dicuntur esse de jure gentium. Nam si præcipiantur, erunt vel de jure naturali, si ex vi rationis præcipiantur, vel de jure civili, si præcipiantur ex humana voluntate potestatem habente, ut probant discursus facti capite superiori; ergo ut jus gentium possit esse distinctum, oportet ut sit concessivum, non præceptivum. Confirmatur hæc sententia auctoritate saltem negativa D. Isidori et D. Thomæ. Nam Isidorus 5 Etymolog., cap. 4 et 6, dicit jus naturale esse illud quod est commune omnibus rationibus: jus autem gentium non definit, sed explicat tantum per quædam exempla quæ concessionem tantum continent, non præcepta, ut postea videbimus, D. etiam Thomas solum dixit jus gentium positum esse ab hominibus in societate viventibus ad majorem utilitatem, quæ ex rationis discursu colligitur: non vero dixit esse positum per modum præcepti.

2. *Excluditur opinio.* — Hanc vero sententiam, ut verum fatear, non satis intelligo. Nam inquiri an loquatur de jure ut solum consistit in morali facultate utendi et non utendi, vel de jure ut significat legem, seu regulam rationis: sive proprie præcipientem, sive approbantem aliquid ut honestum. Prior sensus non est ad rem, ut ex dictis constat, nisi fortasse velint auctores illius sententiæ negare dari aliquod jus gentium, quod sit vera lex, quod non declarant. Nec possunt rationem reddere cur admittant hoc membrum juris gentium in jure, quod sit facultas utendi, et non in lege, et ex dicendis constabit esse eandem utriusque rationem. Si vero loquantur de jure, quod est vera lex, aut regula honestatis, facile etiam potest illa doctrina refutari.

3. Nam ostendo imprimis nullam esse majorem rationem distinguendi jus gentium concessivum a jure naturali, quam jus præceptivum. Quia in jure naturali multa sunt quæ honeste fieri possunt ex vi legis naturalis, quæ non præcipiuntur, nec contraria prohibentur, et ita etiam dari potest jus naturale concessi-